DISPUTATIO JURIDICA
De
ADMENATIONE
Von Zucken:
Wie Hand/ Dolchen/ Degen auf einen Zucken

QUAM

AUXILIANTE DEO. T. O. M.

PRÆSIDE


DN. JOHANNE GEORGIO FICHTNERO

V. J. D. ET INSTIT. IMPER. PROF. PUBL.
PATRONO AC STUDIORUM SUORUM PROMOTORE
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT
AUTOR ET RESPONDENS

CAROLUS OTTO MÜLLER
HASSO-CASSELLANUS.

ALTDORFI NORICORUM
A D. SEPTEMBR.
A. MDCCXI.

Recusa LITERIS KOHLESII, ACAD. TYPOGR. 1722.



I. N. J.



Uamvis ſint ex recentioribus, qui in ſcriptis Dd. vetuſtiorum præter methodum & Antiquitatis ſtudium, etiam imprimis latinæ linguæ puritatem deſiderent, uti videre eſt apud Duaren. *in Epiſt.de Plagiar.* ubi ſcribit: *Doctores veteres pro latinis, propriis & elegantibus vocabulis, nova eademque inepta & monſtroſa cuderunt, cumque verbis propriis & apud ſcriptores probatos, quos quotidie manibus tererent, uſitatis, ſatis commode & dilucide cogitata ſua efferre poſſent; tamen, quo disputationes ſuas obſcuriores redderent & offuſa rudioribus caligine, mojori in vulgus eſſent admirationi, nova atque inaudita comminiſci maluerunt, quæ nemo niſi ab ipſis per multos annos edoctus aut in hujusmodi ſcriptis diu multumque verſatus intelligeret.* Attamen hæc utcunque habeant; interim veteres hoc nomine non ſemper culpandos, ſed quandoque magis excuſandos eſſe exiſtimamus, præprimis ſi re haut aliter ferente, ejusmodi impropriis & minus latinis ſeu parum elegantibus vocabulis fuerint uſi. Nam ut Seneca *L. 2.*

de Benef. cap. 34. ſcribit : *Ingens eſt copia rerum ſine nomine , quas non propriis adpellationibus notamus , ſed alienis commodatisque.* Et ſunt oppido alias multa Juris vocabula , quorum notio & ſignificatio peculiaris eſt & propria Jurisprudentiæ , ut v. g. Actio , Notio, Paganus , Locus , Homo ; Inde etiam eſt alia verborum ſignificatio Grammatica alia juridica. Lectu jucundum , quod Aulus Gellius commemorat *L. XX. Noct. Attic. cap.* 9. de quodam magni nominis & famæ Grammatico. *Rogavi ego* (verba ſunt Gellii) *Romæ Grammaticum celebri hominem fama , & multo nomine, quid hac verba eſſent :* Ex Jure manum conſertum. *Tum ille me diſpiciens , aut erras , inquit , adolescens, aut ludis. Rem enim doceo grammaticam : non jus reſpondeo : Si quid igitur ex Virgilio , Plauto , Ennio quærere habes : quæras licet. Ex Ennio , ego inquam, eſt Magiſter , quod quæro. Ennius enim verbis hisce uſus eſt. Quumque ille demiratus aliena hæc eſſe à Poëtis , & haud usquam inveniri in carminibus Ennii diceret : tum ego hos verſus ex octavo annali abſentes dixi. Nam forte eos tanquam inſigniter præter alios factos memineram :*

Pellitur è medio ſapientia, Vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis.
Miscent inter ſeſe inimicitias agitantes.
Non ex jure manum conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

Quum hos verſus Ennianos dixiſſem : Credo , inquit Grammaticus , jam tibi. Sed tu velim credas mihi. Ennium didiciſſe hoc non ex poëtica literis , ſed ex juris aliquo

aliquo perito. Eas igitur tu quoque, inquit, & discas unde Ennius didicit. Usus consilio sum Magistri, quod docere me ipse debuerat, à quo discerem prætermonstrantis. Itaque id, quod ex JCtis ex librisque eorum didici, inserendum his commentariis existimavi, quoniam in medio rerum & hominum vitam qui colunt, ignorare non oportet verba actionum civilium celebriora. Hæc Gellius. cit. loc. Licet igitur fatendum sit, Veteres quandoque Grammaticorum Regulis haud adeo accurate inhæsisse: ea tamen gloria ipsis merito est relinquenda, quod magis de rebus quam verbis & vocabulis fuerint solliciti, omnia LL. arcana pro virili fuerint rimati, & præ ornamentis, rerum argumenta diligenter investigaverint, ac quomodo privatæ publicæque controversiæ ex LL. visceribus definiri queant, solicite inquisiverint. v. Epist. 1. Pacidii *de interdicta Christianorum cum Gentilib. commun. pag.* 3. Cujus rei luculentissimum exemplum nobis præbet præsens Thema, usu frequens, definitione rarissimum. Nam speciem istam abusus armorum, quæ minitando committitur, diu sub generali injuriæ verbo & delicto indiscretam delituisse, satis constat *ex l.* 15. *§.* 1. *ff. de Injur. Can.* 12. *de pœn. dist.* 1. Donec tanden superiorum seculorum solicitudo animadverteret, minas istas non semper ad injurias dirigi, sed aliquando etiam ad metum incutiendum, item aliquando ad percussionem vel cædem intentandam collimare, *v. l.* 1. *§.* 3. *ff. ad L. Corn. de siccar. Novell.* 42. *in præfat.* Berlich. *P.* 4. *concl.* 13. *n.* 11. *& seqq.* Unde ad denotandum hoc delictum, quod hactenus nomine destituebatur, peculiare huic facinori nomen indidit:

ADMENATIONIS, vid. Bart. Angel. pluresque alios ad *l. 15. §. 1. ff. d. Injur.*

§. *I.*

Hujus vocabuli origo adeo est controversa, ut tot sint fere derivationes, quot Scriptores. Nos in tanta Virorum discrepantia, cujusque relinquimus arbitrio, ut quam velit eligat: interim verosimilius existimantes: Illos, qui latinum minari detorserunt in Activum menare, nequaquam religioni duxisse, præpositionem *ad* adponere, atque inde suam procudere Admenationem, Voss. *L. 3. de Vit. Ser. cap. 25.* unde nonnulli Adminationem dicunt, v. Arnold. Reyger *Thesaur. Pract. in verbo: Adminatio.* Nonnulli Comminationem vocant, uti Plin. *7. c. 45.* Suet. *in Caesa. c. 62.* Germani cum dicere possent Bedrauung / vulgatius usurpant verbum das Zucken: Die Hand/Dolchen/Degen auf einen Zucken. etc.

§. *II.*

Sunt tamen Autores, qui alio sensu vocabulum Admenationis extendunt etiam ad percussionem, e quorum numero est Fachin. *L. 3. Consil. 81.* ubi scribit: *Vulnus enim illatum esse præsumitur ab illo, qui vibravit, sive admenavit ensem, aut aliud genus armorum.* Item Farinac. *Quæst. Crim.* 107. *n.* 159. ibi: *tertius sit casus, in insultu facto cum admenatione. In qua pariter facias conclusionem adfirmativam, videl: quod pax seu cautio de non offendendo censetur rupta per insultum factum cum armis evaginatis & admenatione ictuum, cum iisdem armis, quamvis nemo vulneratus remanserit &c.* E quibus constat Farincaium admenationem vocare ipsam

ſam illationem, vel inflictionem ictuum. Nobis tamen hic placuit admenationem eatenus ſaltem conſiderare, quatenus in terminis minarum ſubſiſtit, neque ad percuſſionem procedit.

§. III.

Hoc igitur ſenſu cum Gothofredo in Not. ad Corp. Gl. *d. l.* 15. §. 1. *ff. de Injur.* deſcribimus Admenationem: quod ſit privatum delictum plerumque injuriæ ſpeciem continens, quo quis elevatione manus armatæ vel inermis concutitur aut perterretur. Vel brevius cum Bertachino in Repert. verb. Adminatio: Quod ſit Elevatio manus aut armorum ad percutiendum. Quæ deſcriptio deſumta eſt *ex l.* 15. §. 1. *ff. de Injur.* ibi: *Si quis pulſatus quidem non eſt, verum manus adverſus eum levata & ſæpe territus quaſi vapulaturus, non tamen percusſit, utili actione injuriarum tenetur.* Cum autem ex hujus §. verbis non ſolum definitio deſumta, verum etiam integra hæc materia in ea fundata, & occaſione ejus a nobis pertractata ſit: idcirco operæ pretium eſſe duximus, lectionum varietatem ad eruendum ejus verum & genuinum ſenſum annotare. Et quamvis quidam DD. exiſtiment, quod his verbis paſſivis: *pulſatus*, *territus* &c. male conveniat, activum *percusſit*: ideoque legere malint *percuſſus*: cujus ſententiæ eſt Gothofr. *ſupra cit. loc.* Item Ruſſardus cum Pacio in ſuis editionibus. Nos tamen tutius putamus, priorem lectionem retinere, eo quod non tantum iisdem verbis canoniſata ſit, ceu conſtat ex *Can.* 13. *de pœnit. Diſt.* 1. verum etiam plane cum Florentina congruat, & conveniat. Unde quidam non inſulſe autumant, in

d. §.

d. §. subesse figuram Syntheseos, sic ut animus JCti a patiente ad agentem transierit, uti *in l. 9. in fin. pr. ff. de Edendo.* Exposito enim facto, actionis formam & formulam in animo habebat, quem animum lingua vel calamus præcurrens cum Synthesi expressit, quasi hoc modo plenius dicere voluerit: Si quis à Titio pulsatus quidem non sit; (Tum enim injuria realis foret. *l. §. 2. ibi: in corpus fit injuria realis: cum quis pulsatur. ff. d. Injur.*) verum manu levata territus fuerit, quasi vapulaturus i. e. ictum sive percussionem sensurus: Tum interest, an Reus percusserit i. e. an manum excusserit, an non: Priori casu directa actione Injuriarum tenetur, dummodo manum excusserit, & quantum in se fuit, alterum percusserit, licet alter tactus non sit, adeoque actu ipso pulsatus non sit. Sin autem Titius non percussit, sed in terminis minitationis sive admenationis substitit: Tum utili injuriarum tenetur. Ratio diversitatis est: Quia in facto admenationis reverâ nec verbalis nec realis injuria potest demonstrari. Non verbalis: potest enim & solo nutu absque injuria verborum admenatio peragi. Non realis, quia manus nondum sunt illatæ, quæ levatæ tantum fuerunt, *l. 1. §. 1. ff. de Injur.* Breviter: Siquis manum elevet quasi me verberaturus, licet non verberaverit, utili saltem actione Injuriarum tenetur, non autem directa, quia verbis legis non tenetur. Thes. *dec. 229. n. 3. & seqq.* Tabor *Tract. de Armam. th. 32.*

§. IV.

Post definitionem sequitur divisio Admenationis, quæ arg. *§. 9. J. d. Injur. & L. 7. §. 2. & 6. ff. eod.* di-

dividi potest in graviorem & leviorem. Cujus distinctionis usus primum in eo consistit, quod atrox gravius puniatur quam levis, arg. §. 7. *J. de Injur.* & *l.* 16. *ff. de poen.* Deinde in eo, quod atrox semper vindicetur, levis non item, præprimis si ejusmodi admenatio, prout hodie sæpius fieri consvevit, non serio sed joci gratia facta sit. Nam si talis animus probetur, illa penitus vindicari nequit, cum animus & propositum soleant distingvere delicta. Huc pertinet illud, quod Jupiter dixit apud Plautum *Amph. act.* 3. *sc.* 2. *v.* 39. *Neque enim si quid dictum aut factum est per jocum, æquum est, id serio prævertier.* Et Aristophanes *in ranis Act.* 2. *Scen.* 2. *An tu istud convertas in rem seriam, joco quod ex te fecerim Herculem.* confer. Bellet. *disquis. Clerical. part.* I. *Tit. de favore Clericorum Canonis* §. 2. *n.* 1. Ubi ait: *Ne quidem eum, qui Clericum per jocum percutit, in pœnam incurrere.* add. *cap. super eo, X. de Sentent Excom.*

§. V.

Causam efficientem & quidem remotam hujus delicti statuimus non tantum jus Civile, verum etiam jus Gentium, eò quod etiam æquitati & securitati publicæ, adeoque Juri gentium adversetur, minis aliquem perterrefacere: unde Justinianus Imperator in *Nov.* 142. *pr. Leges suas eos, qui gladium contra aliquem distringunt, suppliciis subdere sanxit.* Et sine dubio digitum intendit *ad c. l.* 15. §. 1. *ff. de Injur. l.* 3. §. 1. & *l.* 10. *ff. de vi publ. L.* 1. §. 3. *ad. L. Corn. d. sic.* Quæ prohibitiones postmodum non tantum canonisatæ, prout patet *ex can.* 13. *d. pœnitent. dist.* 1. verum

etiam

etiam Edictis summorum Principum aliorumque piorum Magistratuum, qui subinde recrudescentem Duellatorum libidinem iteratis Edictis refrænarunt, quasi confirmatæ sunt. vid. Chur-Fürstl-Brandenburgisches Edictum wider die Duella publ. Cöln an der Spree/ den 6ten Aug. ao. 1688. Art. II. ibi: Ingleichen ist unßer Wille/daß wann Jemand dem Andern mit der Hand oder Prügel drauet/ derselbe ein Jahr im Gefängnuß sitzen und eher nicht loßgelassen werden soll/ biß Er dem Beleidigten öffentl. Abbitte gethan und darneben eine Geld-Buße pro ratione circumstantiarum & modo facultatum erlegt haben wird. Porro vid. Chur-Fürstl. Pfältzisches Edictum wider die Duella publ. in Düsseldorf den 10ten Maji 1692. ibi: Solte aber jemand mit der Hand oder Stock zu schlagen bedrohen/ oder des andern Knecht und Diener mit Stockschlägen und Prügel tractiren/ so soll derselbe ein Jahrlang im Gefängnuß sitzen/ und nicht eher dimittiret werden/ biß Er dem Beleidigten eine öffentliche Abbitte gethan/ und darneben eine Geld-Buße nach Vertrag der Umstände/ und seines Vermögens abgestattet haben wird. Item, Des Fürstl. Haußes Sachsen Ernestinischer Linie Duell-Mandat. §. 3. ibi: Trüge sich nun ferner zu/ daß Einer dem andern mit Real-Injurien begegnen/ mit der Hand/ einem Stabe/ Karbatsche/ Peitsche und dergleichen bedrohen würde. So soll derjenige/ der sich bloß mit Bedrohungen vergienge/ nebst vorgehender mund- und schrifftlicher Abbitte in ein halbjährig Gefängnuß/ welches auf den Fall/ da die Bedrohung in des Bedroheten Hauß geschehen/ noch

eines

eines so lang dauret/ verfallen. Idem Statuta Argent. 9. Febr. Anno 1650. iterata §. Welcher auch. ibi: welcher ein Meßer / Dolchen / Schwerd / Degen oder ein ander Waffen gegen den andern freventl. zuckt oder wirfft / ob Er schon niemands beleidiget: So bessert Er doch seines freventlichen Gemüths halber 1. Pf. &c. Quæ sane prohibitiones summam habent rationem, ut scilicet graviora delicta caventur, dum eò ducentia etiam prohibentur. Summa siquidem professio stultitiæ est, non ire obviam sceleribus cogitatis, sed manere opperirique, ut cum admissa & perpetrata fuerint, tum denique, ubi quæ facta sunt, infacta fieri non possunt, puniantur. Et quare patiatur ad arma & rixas procedere Prætor, quos sua Jurisdictione potest compescere *l.* 17. *ff. d. usufr.* Gell. *lib.* 2. *Noct. Att. c.* 3. *p.* 277.

§. VI.

Causam efficientem proximam constituunt personæ, delictum hoc committentes, ceu constat ex supra cit. *l.* 15. §. 1. *ff. de Injur.* Mares an fœminæ sint, parum aut nihil interest, cum juxta *l.* 1. *ff. de V. S.* vocabulum: *Si quis*, utramque speciem complectatur. Sicuti quoque non refert, Clerici an Laici sint, *Cap.* 3. *X. d. Cler. percuss.* Quamvis enim nimis alias etiam in duellis Clericis indulgeant Pontifices, *Cap.* 1. *& t. t. X. de Cler. pugn. in Duell.* attamen indecens esse non immerito ab aliis perhibetur, manus Deo consecratas, quibus Numini supplicandum est, aliis violenter injicere, aut iisdem metum incutere; cum Christus ipse increpuerit Petrum etiam pro se pugnantem *Matth.* 26.

& Paulus Apostolus *ad Timoth.* 3. *item ad. Titum* I. *v.* 7. voluerit. Episcopum non esse percussorem. Quoad causam hujus delicti instrumentalem parum itidem aut nihil interesse putamus, sive sit gladius *Nov.* 142. *præf.* sive aliud teli genus *l.* 3. *§.* 1. *ad l. Jul. de vi publ.* imo etiam manus, seu pugnus inermis levatus, *c. l.* 15. *§.* 1. *ff. d. Injur.* multo magis igitur tormenta seu bombardæ, wann man mit aufgezognen Hahnen einen bedrauet.

§. VII.

In subjecto autem agente, sive iis, qui hoc delictum committunt, imprimis requirimus, ut sint doli capaces; cum aperti Juris sit, injuriam sine animo & affectu nocendi fieri non posse. *l.* 3. §. 1. *ff. de Injur.* Inde quicunque doli non sunt capaces, aut animum injuriandi non habent, illi hoc delictum non committunt, & per consequens ex eo non tenentur, adeoque liquidum est, furiosos nec hanc quidem injuriæ speciem admittere *arg. l.* 40. *ff. d. R. J.* & *c. l.* 3. *§.* 1. *ff. d. Injur.* & propterea, sicuti in aliis delictis, ita etiam in hoc ab omni pœna immunes esse, quamvis non dimittantur, sed custodiantur à suis in carceribus, ac etiam si opus fuerit, in vinculis & compedibus, non in pœnam delicti commissi, sed ne quid perniciosius in se ipsos aut alios moliantur. *l.* 14. *ff. de Offic. Præsid.* Idem dicendum de infantibus, hos enim doli capaces non esse, sed quicquid agunt ignorare, satis evincitur ex *l. sed & si §. ult. ff. ad L. Aquil. l. Infans ff. ad l. Corn. de Sicar.* Ex quo sequitur, quod Infantes, cum absque dolo nec vere delinquant, inde nec etiam ex hoc delicto teneantur.

At

At licet dicant quidam, Infantes non semper doli expertes esse, maxime hodiernis temporibus, ubi a Parentibus suis sæpius instructi, sciunt alios verbis satyricis traducere, linguam exserere, medium digitum ostendere, manus elevare, quod Itali vocant ficas facere, einem die Feige weißen/ quin imo etiam melius ludere ad taxillos & alios decipere, quam majores 20. annis, ut ait Hippol. de Marsil *l. Infans ff. ad L. Corn. d. sic.* & Jod. Damhouder. *c.* 84. *n.* 4. *& seqq.* ubi testatur, suis temporibus pueros fuisse nequitiores, quam antiquis temporibus. Quo & illud pertinet. Gregor. *c.* 29. *L.* 4. *Dialog.* Infantem quinque añorum è manibus Parentum propter assiduas Infantis blasphemias à Diabolo ereptum fuisse, referente Farinac. *Qu.* 92. *n.* 48. Attamen hosce casus rarissimos (Si alias ejusmodi infantes doli capaces & delinquentes nuncupari queant, neutiquam in consequentiam trahendos, neque Infantes ex eorum delictis teneri, ob id dicendum esse tradit idem Farinac. *c. l. n.* 50. ubi ex aliis quos ibidem allegat, refert, quod infans ille quinque annorum ereptus fuerit per diabolum propter blasphemias e manibus Parentum, in odium & pœnam Patris non corrigentis filium potius, quam ipsius Infantis, in quo propter ætatem nulla aderat doli capacitas.

§. *VIII.*

Cum vero & ebrii passim in Jure furiosis & infantibus comparentur, quippe qui æque ac furiosi & Infantes quid agatur, non intelligunt, tanquam a mente & semet ipsis exulantes. Siquidem ebrietas non minus quam furor mentis quandam inducit alienationem *c.* 14. *X.*

de vita & honestate Cler. idcirco non incongrue quæritur, an & hi hoc delictum committentes excusentur veniamque mereantur. Id quod sane ex superius adducta ratione affirmandum videtur, præprimis si inveteratam Germaniæ consuetudinem spectare velimus, qua res eo rediit, ut si cui benefacere velis, potu eum liberaliore excipere, & vino inebriare summæ amicitiæ loco esse censeatur, & secundum quosdam intra numerum eximiorum & perfectissimorũ Politicorum referantur ii, si Diis placet, qui plurimum meri magnosque Cyathos evacuare possunt, adeoque quod lachrymis deplorandum, ex bibacitate haud pauci gloriam quærant, etiam in Scholis Academicis, quæ salutis publicæ & virtutis seminaria esse debebant, in quibus tanquam in Mithridaticis compotationibus majori laudi ac gloriæ vertitur, egregium potatorem, quam insignem oratorem haberi: uti conqueritur Herman. Kirchner. *in Orat. d. fatal. Academ. dissip. & ruin. p.* 33. Quod vitium quoque antiquis Germaniæ Gymnasiis & Academiis inhæsisse ab An. Sylvio *l.* 1. *Com. dict. & fact. Alphons. n.* 41. memoriæ proditum est, ubi dicit: *Cum Leonhardus Felserbies nobilis Eques in Lipsiensem Civitatem pervenisset, deque sobrini sui studiis & moribus diligenter, ut fieri solet, perquisivisset: homo qui nosset eum & coadjutor ejus esset, optime, inquit, se habet amicus tuus. Nam inter mille & quingentos, qui adsumus scholares, hic unus bibendi palmam obtinet. Neque ingrata sese homo nunciasse putavit; Est enim mos apud Saxones, dum conveniunt, hos primo loco ponere, qui plus adhibuerint, eumque ludum ad æquales haustus compo-*

potationem vocant. Hæc Sylvius. Egregia profecto laus; quam & præmium quandoque ſequitur: Veluti Legatum quendam ex quodam externo Regno non ſolum inſigne monile, ſed etiam añuas pecunias compotationis victoria partas domum retuliſſe meminit Herm. Kirchner. *l. 2. de legat. c. 3. n. 57.* Unde & factum, quod ſanctiones Imperiales, quibus Ebrietas ſatis ſevere prohibita eſt, in contemtum & riſum abierint, atque Germaniæ Nobiles ſibi invicem propinando dixerint. Propino Tibi hauſtum in Conſtitutionem Imperii de ebrietate vitanda, Es gilt dir auf den Reichs-Abſchied/ uti ex prælectionibus Kirchneri refert Herm. Lath. *l. 1. d. Cenſ. c. 10. n. 32.*

§. IX.

Hæc autem utcunque ſe habeant & perpotandi iſta forma nullis unquam temporibus aut legibus potuerit emendari, ſed maxima pars hominũ impatiens frœnorum & legum, libertatem neſcio quam ſibi ſomnians, legis potaticæ, quam Decalogi ſtudioſior ſemper fuerit, teſte Ægid. Albert. *de Conviv. & compot.* Attamen iſtam ceu omni Jure prohibitam, deteſtandam ac ceu peſtem fugiendam eſſe, omnes recte ſentientes nobiscum facile conceſſerint: quippe quæ inter cauſas morborum civilium & criminalium, familiam ducit, ex qua tanquam fertiliſſima ſegete, meſſis oritur undique vitiorum copioſiſſima, ut loquitur Herm. Lather. *de Cenſ. l. 2. c. 3. n. 1.* Unde Salom. *Prov. 23. v. 29. Cui va? cui gemitus? cui rixa? cui fovea? cui ſine cauſa vulnera? cui rubedo oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino & ſtudent calicibus epotandis?* Et ſane ſi hiſtorias profanas conſuluerimus, ex ebrietate imaginationem depravatam, Judicia ſtulta, oblivionem

ſui,

ſui, ſtuprum, libidinem, conceſſionem injuſtam, crudelitatem, imprudentiam, immodeſtiam, arcanorum evulgationem, ſomnolentiam, morbum, vitæ periculum, mortem, honoris jacturam, cladem, captivitatem ſubſecutam fuiſſe deprehendimus, quorum omnium exempla refert quam plurima Theatr. vitæ humanæ Zvvingeri *v. 9. l. 2. p.* 244. quæ etiam nemini ignota eſſe poſſunt. Hac de cauſa de Jure humano æque ac divino Ebrietas ſeveriſſimè prohibita eſt, ac ſane cuivis Chriſtiano ad vitandam ebrietatem ſufficere debet vel ſola Salvatoris noſtri Chriſti exhortatio: *Attendite ne corda veſtra graventur crapula & ebrietate Luc. 21. v.* 34. Quam admonitionem Chriſtianus quivis perpendens ſalva fide ac conſcientia ſe ingurgitare non poterit.

§. *VIIII.*

Quibus præmiſſis facile eſt colligere, quando & quatenus ebrietas in hoc noſtro delicto, veniam mereatur, & quidem ſicuti ebrietas immodica quæ alienationem mentis in ducit, in aliis delictis ita & in hoc excuſat quidem a pœna ordinaria, neutiquam tamen, delinquentem ab omni pœna liberat, ſed eatenus ſolum ipſum excuſat, ut mitius aut lenius aliquando extra ordinem puniatur, cum ebrietas enormis dolū quidem, non vero culpam tollat. Utut enim maxime ebrius dolo carere videatur, culpa tamen non caret, quæ caſum præceſſit, & quia rei illicitæ operam dedit, non evitando ut oportuit nimiam iſtam ebrietatem, cum ignorare non deberet aliquid mali per ebrietatem a ſe admiſſum iri, ſane ob hanc ipſam culpam ſaltem extra-

tra-

traordinarie arbitrio Judicis pro ratione scil. culpæ punire debet, & ita ebrius non tam ob delictum, quam propter ebrietatem coercetur, prout innuit *c. inebriaverunt. c. 15. qu. 1.* Farin. *O. 3. Oper. Crim. qv. 93. n. 4.* Quodsi vero modica, levis, & prout hodie sæpius fieri solet, affectata sit ebrietas, in qua nec alienatio mentis sed integritas rationis deprehenditur, illa minime à pœna hujus delicti excusare potest, quia tunc dolo malo delictum admissum præsumitur. Qui enim leviter saltem inebriatus, & usum rationis adhuc habet, is certe furioso æquiparari nequit. Quare cessante ratione æquiparationis, ebrio quoque excusationis locus relinqui nec potest, nec debet: præprimis si talis sit, qui sciens se solitum in ebrietate delinquere, & alios percutere ac offendere, non abstinuerit a vini immodica potatione, sed se dedita opera ingurgitaverit, & ebrius ultro ad arma venerit, ea strinxerit, atque hoc modo delictum commiserit. Quippe quod hoc casu dolus & malitia præcedat & sic delictum delicto cumuletur, quod propterea etiam graviori pœna coercendum videtur, secundum Gail. *L. 2. O. 110. n. 27.* Menoch. *de Arb. Jud. qu. L. 2. cas. 326.*

§. XI.

Sicuti autem ex præcedentibus constat, quod non quævis ebrietas ab hoc admenationis delicto excuset, ita nec quævis ira. Cujus asserti ratio & fundamentum principaliter ponitur *in l. 5. C. de injur.* in verbis: *Si autem in rixam inconsulto calore prolapsus, homicidii convitium objecisti, & ex eo die annus excessit, cum injuriarum actio annuo tempore proscripta sit, ob injuria*

 ad-

admissum conveniri non potes. Unde infertur, injuriantem sola iracundiæ exceptione se tueri non posse adversus injuriarum actionem, nisi temporis præscriptio accesserit. Quo & plurimum facit *Ord. Crim. Art.* 137. qui textus licet de crimine homicidii solum loquatur, attamen quin in aliis quoque delictis & sic in admenatione idem obtineat, ex ratione identitatis obscurum non est. Hocque est, quod scribit Baldus *in c. l.* 5. *C. de injur.* Quod quædam sint, quæ sortiuntur Juris effectum & repudium, eaque nihil operantur, si fiant calore iracundiæ, quia non procedunt ex animo, sed potius secundum quandam alterationem. Quædam vero sint, quæ non sortiuntur effectum, ut sunt maleficia, in quibus non distinguitur, an emanaverint calore iracundiæ vel non: quia maleficia nunquam debent manere impunita, Felin. *in c. dil. filii n.* 15. *in fin.* Et sane, si ejusmodi casus accidat, ut quis justa ira commotus hoc delictum commiserit, gladium strinxerit, aut manus in alterum levaverit, vel in tantum ira concitatus fuerit, ut a mente quasi sit alienatus, quin tum veniam aliqualem delicti mereatur, nosmet ipsi non dubitamus. Eaque ratio commovit Imp. Maximil. I. ut ex calore iracundiæ blasphemanti aliquo mudo indulgeret *in. Rec. Wormat. de Anno* 1495. sub tit. Die Pön derer so aus Hitz oder Zorn schweren.

§. XII.

Progredimur nunc ad hujus delicti formam, quæ hoc loco paulo accuratius erit inquirenda, ut finis delicti hujus eo diligentius distermінetur & error DD. supra indicatus reveletur. Siquidem alias tam in theoreticis

reticis, quam practicis formarum inquisitio & expositio perquam difficilis est; cum adeo affines & consimiles sæpe sint factorum species, ut similitudine sua etiam prudentiores fallant, eoque errores etiam a satagentibus dilucidationem, gravissimi committantur. Est autem forma hujus delicti alia generica, alia specifica. Prior consistit in minitatione telo intentata vel pugno. Posterior fit districtione & elevatione armorum in modum sive gestum verberaturi composita. Sic etenim qui alteri minatur gestibus, quasi lapidem, baculum, cultrum, aut similia arma in eum vibraturus, etiamsi minas opere non compleverit, nihilominus de talibus minarum terroribus puniendus venit, vid. Damhouder *Prax. rer. Crim. cap.* 139. *n.* 2. Tendit autem hæc admenatio vel ad metum, vel ad injuriam, vel ad vim vel ad vulnera necemve inferendam, prout videre est ex *l.* 15. *§.* 1. *ff. de Injur. l.* 3. §. 1. *ad Leg. Jul. de vi publ. l.* 1. *§.* 3. *ad L. Corn. de Sicar.* differtque ab ea gladii districtione, quæ cum vulneratione vel cæde est conjuncta. Quæ duo etiam apud bonos Autores ita leguntur discreta, ut puta apud Tacitum I. *Annal.* 4. *v.* 14. ibi: *Stabant pro Concione legiones districtis gladiis, non ut metum facerent, sed ut arcerent.* Sic & Subrius Flavius *L.* 15. *Annal. c.* 58. *n.* 4. *a Rufo percontatus est, an inter ipsam cognitionem distringeret gladium, non ut metum aut injuriam inferret, sed ut cædem patraret? Rufo renuente, infractus est impetus, jam manum ad capulum referentis. Sic Rhadamistus in uxorem distringit acinacem, non ut perterrefaceret dilectissimam Conjugem & jam ante exanimem, sed ut vulneratam flu-*

 mini

mini traderet, *eoque hostili insecutioni subduceret*, *l.* 12. *Annal.* 51.*n.* 1. Sic iterum *Annal.* 14. *ad lectum Agrypinæ ferrum distrinxit Centurio*, *non in metum*, *sed in mortem*, *cui illa uterum protendens : ventrem feri exclamavit*, *multisque vulneribus confecta est*. Hæc ita collecta sunt à Tab. *cit. Tr.* 18. quæ ceu apprime huc facientia. transcribere, quam mutilate allegare maluimus.

§. *XIII.*

Ex his igitur facile erit colligere, quænam sit differentia inter armorum elevationem, quæ cum vulneratione & cæde conjuncta est, & inter admenationem de qua specifice hîc agitur. Hæc etenim in nuda elevatione & districtione, adeoque intra terminos & fines conatus subsistit. *C. J. A. de Injur. th.* 11. *n.* 9. Unde & ex præscripto *l.* 15. *§.* 1.*ff. de Injur.* in hoc delicto requiritur, ut manus armatæ vel inermes adversus alium leventur, seu eleventur aut attollantur, & quidem cum territione, seu eo gestu quasi perterrefaciens jam verbere alterum afflicturus sit, cum tamen non percusserit. Licet autem Græci ad formam & constitutionem hujus delicti, etiam iterationem desiderent, hancque sententiam ipsius Ulpiani *in c. l.* 15. §. 1.*ff. de Injur.* esse statuant; dum *cit. §.* 1. *Lib.* 60. *Basilicon tit.* 21. *& in Eclog. ibid. §.* 25. ita explicant : *Qui sæpe extulit manum & non percussit*, *utili injuriarum tenetur.* Attamen nos ad delicti hujus formam & constitutionem propterea iterationem non necessariam esse credimus, quia alias exinde hoc absurdum veniret, quod is qui semel eo gestu animoque manum levaret, plane non delinqueret. vid Aretin. *in Tract. de Malef. verb. admenavit p.* 155. ibi: *Solus iste actus admenationis cultelli vel bastioni (sic*

gal-

gallice dicit baculum) vel manus , etiamsi non percutiat, tamen est punibilis. Cui accedit, quod & alias ad alicujus delicti consummationem, iteratio non requiratur, cum illa delictum non absolvat, sed intendat, *p. l.* 4. *C. d. serv. fugit.* Quin imo jam supra ostendimus, potissimum hujus delicti requisitum consistere in gestu terrentis quasi verberaturi. P. Grasecccius *Disput. Pandect.* 27. *de Injur. & famos. libell. cap.* 4. *th.* 48. Nec quemquam movere debet, quod ipse Ulpianus *in sæpius cit. l.* 15. §. 1. *ff. de Injur.* vocabulum *sæpe* expresserit. Cum interdum JCti eo vocabulo uti soleant, quando speciem notabiliorem designare volunt, nec ideo tamen iterationem pro necessitate formali exigunt, ut *in l.* 3. *vers. qui sæpe ff. fam. hercisc. item l.* 2. §. 1. *vers. sed nisi. de Verb. Obl.* Rebuff. *in Comment. ad l.* 53. *de V. S.* Possumus & sic JCtum interpretari: Licet quis sæpius aliquem terruerit quasi verberaturus, attamen si non actu percusserit: tantum utili, non directa actione injuriarum tenebitur.

§. *XIV.*

Effectus & quidem ex hoc delicto admenationis generaliter proveniens, est obligatio ad pœnam, arg. *l.* 1. *&* 2. *ff. de LL.* eaque pro qualitate hujus admenationis, puta vel simplicis vel atrocioris varia est. Et quidem simplicis pœnam arbitrariam v. g. injuriarum esse putamus, *l.* 15. §. 1. *ff. de Injur.* & *l. ult. ff. de Extraord. Crim.* ibi: *Si cui ob eorum metum damnum datum est, pro modo admissi actio dabitur.* Non obstante Regula: Quod nudus conatus non obsit, si injuria nullum effectum habuerit, *l.* 1. §. *ult. Quod quisque Jur. l.* 4. §. 6. *ff.* de *Re Jud.* Nam Rx. licet injuria ista respectu ultimi effectus imperfecta sive adfecta tantum videri

deri queat, attamen in se perfecta & absoluta habenda est, uti in *l. 3. ff. Quod quisque Jur. l. 1. §. ult. ibi: imperfecto flagitio. ff. de extraord. Crim. l. un. ibi: tamen, pro tali conamine. C. si quacunque prad. potest.* conf. *l. 37. ff. ad L. Aquil.* Deinde non recte assentiri Bartolo existimamus, qui ex eo (quod poena admenationis arbitraria sit,) colligit; admenantem eadem pœna plectendum esse, ac percutientem, utcunque eundem magni nominis DD. sequantur, uti Angel. Jason. Hippol. Marsil. *in l. Qui falsum n. 4. ff. ad L. Corn. de fals.* cum manifesti juris sit, quod maxima inter attentatum & perfectum delictum differentia sit: & ideo pari pœna plecti nequeant, nisi conatus diserte a lege eadem pœna afficiatur, uti contingit in crimine perduellionis per Aur. Bul. *Tit. 24.* Lud. Carer. *in Pr. Crim. cap. de homicid. p. 88. n. 16.*

§. *XV.*

Utcunque autem etiam admenationis atrocioris pœna de Jure Civili dicatur arbitraria *d. l. 15. §. 1. de Injur.* attamen sub hac haud dubie graviorem intelligendam esse omnes facile concesserint; id imprimis pensitantes, quod injuriarum pœna, quia est arbitraria, etiam ex justa causa aliquando aggravari possit: ita scil. ut & Judici incumbat, in decernendis pœnis tam pro admenatione simplici, quam atrociori omnes qualitates personarum aliasque circumstantias bene & accurate perpendere, & ex iis Judicium ac arbitrium suum informare. Quæ licet certa Regula definiri nequeant, attamen certum, quod atrox Admenatio æstimari possit potissimum, vel ex loco: ut si intentetur in

loc-

loco facro, aut publico: ut puta in templo, foro, vel theatro vel confpectu Prætoris, arg. §. 9. *l.* & *l.* 9. *§.* 3. *ff. de Injur.* & *l.* 16. *§.* 6 *ff. de pæn.* ubi exemplum hujus rei eft apud Demofthenem in Oratione contra Midiam: cum Orator graviter conqueratur de colapho fibi ludos facienti, a Midia in ipfis ludis feu theatro impacto. vid. Frid. Bruckmann. *Vol.* 2. *Conf.* 15. *n.* 147. Vel ex genere armorum. Gravior enim eft, quæ armis intentatur. *§.* 6. *Inft. de interdict.* levior quæ manu elevata fine armis defignatur. Vel ex tempore. Sic atrocior cenfetur admenatio, quæ fit die fefto, arg. *l.* 7. *§. f. ff. de Injur.* vel interdiu: Levior autem quæ fit noctu, Polyd. Rip. *d. Temp. Noct. c.* 44. *n.* 18. Vel ex Quantitate, fi fæpius iterata fuerit. arg. *l.* 16. §. 7. *ff. d. pæn.* Denique ex perfona cumprimis æftimatur atrox admenatio: Siquis ea utatur adverfus Magiftratum aut ejus Officiales & Miniftros, etiam lictores vel cohortem Prætoris. Idque ratione non caret; quum offendens miniftros Magiftratus, ex mandato ejus quicquam agentes, ipfum Magiftratum lædere ac injuriis afficere videtur. Minus vero dubium eft, quod nomine Magiftratus hic veniant omnes illæ perfonæ, quibus imperium & Jurisdictio aliqua competit & conceffa eft, ut funt: Prætores ac Judices in oppidis, Sculteti in pagis, Senatores, Nobiles. Præfecti, Quæftores, nec non Scholarum & Academiarum Rectores, ita ut fi quis ex ftudiofis adverfus eos admenatione ufus fuerit, pro ratione circumftantiarum & perfonarum qualitate gravius puniri queat. Quare & huc cafus peffimo ac malitiofiffimo hoc feculo non raro

con-

contingens, referendus, quo sæpius in tumultu cives & rustici una cum servis, mulieribus atque ancillis coadunati, fustibus, baculis, lapidibus, ligonibus, rutris, rastris, furcis, mergis aliisque armis Magistratui resistunt, & verbera ac vulnera minantes, executionem impediunt, obedientiam renuunt & quasi rebellionem fovent. Quos omnes, ceu delicti hujus complices, pœnâ hâc arbitraria graviori teneri extra dubium est; hoc tamen moderamine adhibito, ut Autores tumultus ac rebellionis gravius: reliqui vero complices, lenius puniantur, & priusquam certa pœna hac in causa delinquentibus decernatur, de Autoribus tumultus ac facto cujusque personæ certo constare debeat.

§. XVI.

Non minus quoque atrox reputatur ea admenatio, quæ fit & infertur Parentibus, utpote quibus si non major, æqualis tamen honor ac reverentia debetur *l. 7. §. 8. ff. de Injur.* Sicuti enim officium Parentum præcipue in eo consistit, ut liberi alantur. Ita vicissim debitum filiale exigit, ut liberi Parentibus honorem & obedientiam præstent atque exhibeant: contra quem honorem & obedientiam graviter liberi peccant, Parentes admenando ac injuriis afficiendo, ac propterea pro ratione circumstantiarum, eosdem gravius quandoque puniendos esse, non immerito statuunt DD. per *l. 2. & 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* Olim Parentes ipsimet vi Patriæ Potestatis, quæ juris civilis ac Civium Romanorum propria erat, ejusmodi injurias vindicare poterant, siqui-
dem

dem more Romano Jus vitæ & necis Patri adversus liberos concessum fuit, gravius fere dominica in servos potestate, ex lege scilicet Romulea, juxta quam Viri illustres pro Rostris, favente plebe concionantes, in Senatus invidiam, fruentesque aura populari, detracti de suggesto abducti sunt a parentibus pœnas daturi ex ipsorum sententia, quos dum per forum ducerent, nemo adstantium eripere poterat, non Consules, non Tribuni, non ipsa Turba &c. Dionys. Halicarnas. *l.* 2. Pariter & vetus jus fuit Parentum, utriusque sexus, distrahendi liberos, tempore famis & necessitatis. Item abdicatio filiorum immorigerorum, Plato de *legibus l.* 11. Sed utrumque hodie immutatum. Hoc enim nempe abdicationis Jure abrogato, *l. abdicatio C. de Patr. potest.* aliud mitius jus fuit substitutum, scilicet exheredationis, quam Imperator ad certas causas quidem adstrinxit, non tamen simul prohibuit plures alias similes & majores admittere. *Nov.* 115. *c.* 3. Illud vitæ & necis arbitrium severiorque liberorum coercitio, uti desvetudine paulatim propter atrocitatem, nec non Principum rescriptis sublata fuit. *l. f. C. de Patr. pot.* Ita non sine magna ratione cessat & prohibita nunc est ubique. Henr. Arnis. *l.* 5. *Polit. fol.* 118. Besold. *Cl.* 1. *diss. Polit.* 10. *th.* 42.

§ XVII.

Pro atrocissima quoque admenatione reputatur ea, qua milites adversus supremos militiæ Præfectos

 fuerint

fuerint usi, ac propterea gravissime puniri jubentur in des H. R. Reichs Reuter-Bestallung *Art.* 29. ibi: Item, Es soll kein Knecht seinem Herrn oder Junckern muthwillig trotzen / noch sich Ihm widersetzig machen / vielweniger eine Büchse oder Wehr über Ihn zucken / bey Leibes-Straffe. It. *Art.* 53. ibi: Wo einer oder mehr sich mit wehrhaffter Hand gegen den Feld-Obristen oder Feld-Marschalck einlaßen würden / die sollen darum an Leib / Ehr und Guth nach erkantniß des Reuter-Rechts gestrafft werden. Confer. Königl. Schwedischer Kriegs-Articuls-Brief. *tit.* 5. *art.* 33. 34 & 35. ibi: Welcher Reuter und Fuß-Knecht in des Feld-Marschalcks oder Feld-Herrens Gegenwart / es sey wo es wolle / oder auch in Besatzung / seinen Degen entblößet / der soll die Hand verlohren haben. Item *art.* 35. Und insgemein welcher Officier, Reuter und Fuß-Knecht in Vestungen / Lägern sein Gewehr nicht zu seiner Noth und Gegenwehr / sondern vielmehr zu offendirung auszeucht / entblößet oder zucket / auch dessen genugsam überführet würde / der soll mit unnachläßl. Leibs- und Lebens-Straff belegt werden. Item *Tit.* 4. *Art.* 29. ibi: Mit den Unter-Officiren / als Feld-Wäbel / Sergeanten / Führern / Furirern / Rüstmeistern / Corporal und Rott-Meistern soll es also gehalten werden: Welcher Reuter und Knecht dieselben schmähen / sich Ihres Amts commando entgegen setzen / und sie mit der Faust zu schlagen bedrohen / auch dessen genugsam überwiesen werden / die sollen die Fäuste verlieren und aus dem Lager verjagt: Geschicht es aber im Felde / wann

wann man gegen den Feind ziehet / oder in einem festen Lager / so mit der Wach besetzt ist / am Leben gestrafft werden. Bonfer. Fürstl. Hessisches Kriegs-Recht *Art.* 28. ibi: Insonderheit soll keiner mit dem andern mit Besetzung der Wacht / weder auf den Strassen / noch im Losement Zancken / weder Zucken noch Balgen / desgleichen auf den Tags-Wachten oder in der Zugs Ordnung / bey Straff Leibs- und Lebens. Item *Art.* 12. ibi: Wo auch einer auf Zug und Wacht etwa um billiger Ursach willen / und sonderlich darumb / wann Er nicht thäte / das einem Kriegs-Mann zustünde / von einem Befehlichs-haber gestrafft würde / und Er sich gegen denselben zur Wehr stellete / sich auch andere seiner annehmen wolten / der oder dieselben sollen darumm nach erkantnus des Rechtens am Leib und Leben gestrafft werden. Item in *Art.* 10. & 26. Conf. Regier. Fürstl. Durchl. zu Schleßwig Kriegs-Recht *tit.* 8. *Art.* 59. ibi: Wie dann in Summa jedweder Officirer / Reuter und Fuß-Knecht / welcher in denen Vestungen und Lagern sein Gewehr zur offension entblösset und zucket / unerachtet Er damit nichts verrichtet / an Leib- und Leben oder nach befindung der Umstände mit anderer Straff belegt werden soll. Cum quo concordat Kaysers Maximil. II. *Art.* Brieff *art.* 33. Käysers Ferd. III. Kriegs-Recht. *Art.* 8. & 41. Brandenb. *art.* 20. Holländ. *art.* 32. & 33. ad quem ultimum Art. Juris Holland. militaris, Pappus scribit: L'espée comme un coustau sacre, ne doit étre desgainée, fors en cas d' importance, ou pour la de-

fense de sa vie & de son honneur. Concordat etiam Jus civile, uti est textus *in l. 13. §. 4. ff. d. Re milit.* ibi: *Irreverens miles, si Centurioni castigare se volenti restiterit, non solum vitem tenuerit, sed ex industria fregerit, capite punitur.* Sic porro & omnis contumacia adversus Ducem capite punienda est, augeturque hoc crimen dignitate Præpositi. Je höher der Officier, je grösser das Verbrechen. *v. l. 6. §. 1. ff. eod. tit.*

§. XVIII.

Quin porro & illa atrocissima gravissimaque fit admenationis species, quando quis personis Ecclesiasticis, sive Clericis minatur gestibus quasi lapidem, baculum, cultrum, gladium aut similia arma in eos vibraturus, etiamsi minas opere non compleverit, atque insimul de talibus minarum terroribus puniendus veniat: extra omnem dubitationis aleam positum est. Et præprimis hoc maxime solenne est Pontificiis, ut sanctitatem suorum Clericorum ubique deprædicent, ac illibatam conservent: ne chara capita, etsi meruerint maxime, unquam violentur, & ne deficiat ulla in parte Regnum Anti-Christi, prout loquitur Ziegler *ad* §. 3. *Instit. Jur. Can. de sentent. Excomm.* Quamvis enim alias de personis Ecclesiasticis notent DD. Admenantem non fieri irregularem, nisi simul percutiat atque occidat, Bald. *in addit. ad specul. tit. de Accusatore verb. Rigor legis Cornel.* Si quis tamen in Clericos, Regulares, Monachos, Professos vel Novitios, vel conversos violen-

olentas & impias manus injecerit, ipso Jure Canonis incurrit sententiam, a qua præterquam a Romano Pontifice vel ejus de latere Legato a quoquam absolvi non poterit. *cap. 5. X. de sentent. Excomm. cap. 13. X. eod.* Sed etsi manus quis violentas non injecerit, inferenti tamen vel Autor vel adjutor fuerit, aut factum ratum habuerit, pari pœna illum plectendum Catholica sanxit authoritas, eos etiam delinquentibus favere interpretata, qui cum possint, manifesto scelere desinunt obviare, *cap. 23. de sentent. Excomm. in 6to.* etiamsi id ob timorem intermissum fuerit, uti extendit assertionem Martinus ab Azpilcuet. Navarr. *Tom. 3. c. 24. n. 24.* Ex quo satis constat, quod Pontifex pari & majori etiam securitate Clericos suos muniat, quam Consiliarios suos Imperator *in l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* de qua re etiam Natio Germanica in comitiis Norimbergensibus conqueritur his verbis: So ein Pfaff / oder andere geweihete Persohnen erschlagen/ wird nicht allein der Thäter verbannet / sondern auch die Stadt interdiciret / und solange interdict gehalten/ auch kein Christl. Werck vollbracht / biß der Thäter oder die Gemeine Abtrag thue. Sed & cadaver Clerici, si quis minus religiose tractaverit, excommunicationem eum incurrere volunt. Bajard. *ad Jul. Clar. Qu. 77. n. 16.*

§. XIX.

Accidit tamen interdum, ut etiam pro violenta manuum injectione, excommunicationi quis non subjiciatur:

ciatur: veluti si Clericum sibi manus inferentem, ita quis in continenti vi repellat, ut læsionem inferat, aut in eum, quem cum uxore, matre, filia vel sorore turpiter se gerentem invenerit, manus violentas injecerit. Idem statuitur de eo, qui illum percusserit, quem probabiliter ignorabat esse Clericum, e. g. si percusserit Clericum, qui Clericali habitu non incedit, quem quis propterea pro non Clerico habere potest, *cap.* 4. *X. de sentent. Excomm.* Id quod sane mirum videre potest, Jure Pontificio exceptionem ac præprimis defensionem adversus Clericos fuisse permissam, præsertim cum id ubique agatur, ut non salva & integra tantum sit Clericorum conditio & status, sed etiam ut eminentior existat. Et quæ ergo proportio erit inter percussionem Clerici & percussionem Laici? Si præsertim obtineat sententia, quæ nunc passim propugnatur, licite omitti defensionem sui, quando invasor est persona publica aut Reipubl. maxime utilis. Præter morem igitur benignius hic est Jus Pontificium, Ziegl. *c. l. §.* 8.

§. XX.

Huc usque demonstravimus, quod Judex in decernenda hujus delicti pœna, præter alias circumstantias imprimis personarum qualitates, quibus admenatio atrocior æstimari solet, bene ac accurate perpendere, & ex iis judicium & arbitrium suum informare debeat. Jam vero ex ante dictis attingenda est hæc Quæstio: Num isthæc æstimatio ad tempus id, quo judicatum, an

an vero ad illud quo facta est admenatio, referri debeat: Veluti si ejusmodi minæ fuerint intentatæ Magistratum gerenti, qui judicati tempore Magistatu abiit: vel si fuerint intentatæ a plebejo, qui judicati tempore factus est Senator, Judex &c. Et respondemus: æstimationem illam non ad tempus judicii, sed commissæ admenationis referendam esse. Ideo admenatio plebejo facta, qui postea Senator factus est, non ut Senatoris, sed tanquam plebeji punietur, & contra, *arg. l. 21. ff. de Injur.* Ejusque ratio manifesta est, quia in coërcendis delictis vel criminibus, non latæ sententiæ aut litis contestatæ, sed delicti perpetrati tempus spectari solet. *l. 1. ff. de pœnis. l. 21. C. ad l. Corn. de Fals. l. 29. pr. ff. de Stat. liber. l. 1. §. 3. ff. Si is qui testam. liber. esse juss.*

§. XXI.

Hoc loco quoque venit examinanda hæc quæstio: An Magistratus sive Judex, cui admenatio facta est, de ea ipse cognoscere, atque eum, qui minas intentavit, punire possit? Et quamvis nemo alias in propria causa judicare debeat, *l. 10. ff. de Jurisdict. l. un. C. Ne quis in sua causa judic. l. 13. ff. Quod metus causa. l. 14. C. d. Judæis. C. 1. caus. 4. q. 4.* Nos tamen, his omnibus non obstantibus, Magistratum seu Judicem, cui ut Judici admenatio facta est, eam recte, si notoria sit, punire posse existimamus. Magistratus etenim Judexve, cui per ejusmodi admenationem gravis in-

injuria illata est, puniendi hanc injuriam sibi contemplatione dignitatis vel officii sui illatam, non proprio, sed potius alieno, puta Reipubl. negotio, procedere & judicare censetur: cum ista injuria ipsi Reipubl. vel dignitati facta esse intelligatur: *arg. Cap. 1. de pœn. in 6. ibique Dd. Gl. ad l. un ff. Si quis jus dic. non obtemp. l. 8. ibique Dd. ff. de appell. Reinking. in Tr. de Reg. sec. & Eccles. Cl. 1. l. 1. cap. 3. n. 24.* Quodsi vero Judici non respectu publici officii, sed tanquam privato admenatio facta & per hanc injuria irrogata esset, isque ad privatam vindictam, puta ad pœnam sibi applicandam, agere vellet, aut admenatio non esset evidens, sed altiorem requiret probationem: his utique casibus, Judex vel Magistratus injuriam istam propria autoritate vindicare non posset, verum ad superiorem deferenda foret, ut ipse tanquam Judex competens, de ea cognosceret, arg. eorum, quæ habet Cynus *in l. un. C. Ne quis in sua caus. jud.*

§. XXII.

Cæterum antequam ab admenatione abeamus, istud adhuc monendum venit, quod eo casu, quo admenationem exceperit admenati qualiscunque defensio, culpa tota in admenantem revolvatur, ut veluti pro provocante habeatur, vid Tacit. 1. *Annal. c. 27.* ubi indicat: *Manus intentantes causam discordiarum & initium prabere armorum.* Cum ille sit princeps culpæ, a quo incipit malitia. *arg. l. 4. C. de serv. fugit.* & non dicatur incepisse, qui ex ira aliquid facit, sed qui ad

iram

iram provocat *l.* 13. *ff. de Judic. l.* 14. *ff. ad l. Aquil. Wesenb. Vol.* 1. *consf.* 19. *n.* 15. Qua occasione quæstionem movent DD. Si admenatus seu insultatus, antequam percutiatur, occidat insultantem seu admenantem, an pœna homicidii ordinaria teneatur. Quod quidam affirmant ideo, quia solæ minæ tam gravem offensionem non habent, ut ob eas solas alterum cædere liceat. Sunt enim minæ verba, quæ non verberibus sed verbis sunt repellenda. Jod. Damhoud. *in Prax. Crim. c.* 76. *n.* 19. Obrecht *in Tr. de Necess. Defens. c.* 11. *n.* 15. Berlich. *P.* 4. *concl.* 13. *n.* 11. Quidam vero negant, ex hac imprimis ratione, quia is, qui admenantem occidit, id defendendi sui causa fecisse, adeoque quasi justam causam habuisse dicatur, cum & minæ & terror armorum maxime lethalium, veluti sunt bombardæ, gladius &c. insultatum sive admenatum in vitæ discrimen adducunt. *Clem. un. de homicid. l.* 3. *§.* 5. *ff. de vi & vi arm.* In vitæ autem discrimine constitutus, juste se usque ad internecionem alterius defendit, *l.* 2. *C. de sicar.* Ergo & insultatus seu admenatus, qui hujusmodi metum patitur. Nec primum ictum expectare tenetur, Ord. Crim. *art.* 140. quia fieri potest, ut ictum non evadat, sed eo statim trucidetur, vel etiam sic tractari potest, ut facultas defendendi nulla ipsi reliqua foret, sicque ante ipsum pœna injusta luenda foret, quam justa repeti posset. Ideoque melius est, admenantem prævenire, non expectato ictu, quam post acceptum vulnus remedium quærere *l.* 1. *C. quando lic. unic. sine Jud. l. f. in fin. C. in quibus caus. rest. in integr.*

 non

non est necess. Jul. Clar. *in §. homicidium 2. n. 33.* Hippol. de Marsil. *in Pract. Crim. §. diligenter n. 19.* Gomez *Tom. 3. Var. resol. c. 3. n. 22.*

§. XXIII.

Nos quoad hanc quæstionem, distinguendum esse existimamus, an quis nudis verbis aut gestibus, absque omni alio facto, actu aut præparatione ad percutiendum, cædem minetur, an vero simul aggrediatur vel adoriatur, impetat & percutiat. Priori in casu, si admenatus admenanten illico occidat, vix animadvertimus, quomodo *l. Corneliæ* pœnam evitare possit, arg. *l. 2. C. ad l. Corn. de sicar.* quoniam is qui nudis verbis aut gestibus minatur, nondum incipit offendere & facto insultare, neque procedit ad actum proximum, ideoque tunc verbis obsistere, non autem ad manus & ferrum devenire licet. Alias enim, si pro solis verbis, verbera referrentur, analogia defensionis minime servaretur. Et licet ejusmodi gestus & minæ verbales terrorem alicui injiciant. *l. 1. in fin. C. si quæ præd. potest. l. 1. C. Si Rect. Provinc.* non tamen per illas præsens & tale vitæ periculum imminet, quod aliter verbis & judiciali autoritate propelli & declinari nequeat, & certe multi reperiuntur Thrasones, qui alicui ex frivola sæpe caussa satyras & mortem minantur, quorum tamen comminationes stultæ, non pluris faciendæ, quam fulgur ex vitro aut quanti nugæ obstetricum & delirantium jam vetularum, Carpz. *P. 1. qu. 29. n. 66.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Posteriori vero casu, quando nim. minas jactans jam alterum aggrediatur, ita ut terror & metus extremus actui proximus adsit *l. 3. §. 5. ff. de vi & vi arm.* Tunc certe admenatus seu insultatus & in vitæ discrimine constitutus, primum ictum expectare non tenetur, sed sibi in tempore bene prospicere potest, & si defendendi sui causa minitatorem occidat, a pœna *l. Corn. de Sicar.* immunis est & vel plane absolvi, vel ob commissum excessum moderaminis inculpatæ tutelæ arbitrarie relegatione vel carcere puniri debet, tum ob textum *c. l. 3. §. 5. ff. de vi & vi arm. l. 5. pr. ff. ad l. Aquil. & Art.* 140. *§. f. Ord. Crim.* tum, quod melius sit in tempore occurrere, quam post exitum vindicare & consultius intactum corpus servare, quam post vulnus acceptum remedium quærere, *l. f. inf. C. in quibus caus. rest. in integr, non est necess.* tum denique, quia præsens armorum terror offensioni proximus est, potentia autem actui proxima censetur esse in ipso actu, *l. 1. §. 21. l. 18. §. 2. ff. de acquir. poss.* Damhoud. *Proc. Crim. c.* 76. *n.* 19. ibique cit.

§. XXV.

Affinitatem quandam cum admenatione habet diffidatio, quæ quondam certo modo licita erat, ut constat *ex Cap.* 17. *Aur. Bull.* postea vero simpliciter prohibita est ab Imperatore Maxim. I. *in Comitiis*

Wormatiensibus de Anno 1497. sub. Rubr. der Königl. Landfriede darauff haben wir alle offene Fehde durch das gantze Reich abgethan und aufgehoben. Heben auch die hiermit auf und thun die ab von Röm. Königl. Macht und mit Krafft dieses Brieffs. Sicut enim admenatio & terrorem incutit & honorem lædit, sine afflictione præsentanea corporis aut fortunarum. Ita etiam diffidatio speciem minarum continet. *Ord. Crim. Art.* 128. Vnde & definitur; quod sit minitatio hostilis, qua quis alteri per literas, signum, aliudve factum, animum hostilem denunciat, minaturque se cum armis, igne, spoliis, rapinisque persecuturum (Wann einer einem ansagt oder ihme Feindschafft zuschreibet oder Brand-Zeichen steckt / und Ihn mit Raub / Brand / Mord zu beschädigen bedrauet und befehdet. Joachim a Beust, *ad l.* 31. *ff. de Jurejur.* Differt tamen diffidatio ab admenatione eo, quod illa (1) inferatur plerumque absenti; per nuntium, literas & signa. Hæc vero præsenti. (2.) Admenatio specifice fiat elevatione manus & armorum, tanquam percussuri: Diffidatio vero aliis modis, quos videre licet apud Bocer. *Tr. de diffid. cap.* 4. *Quib. mod. diffidatio fiat.* Non enim nuda verba minitatoria faciunt diffidationem, sed vel literæ, appensio signi, aliudve factum accedat, necesse est. Carpz. *Pr. Crim. p.* 1. *qv.* 37. *n.* 18. (3.) Admenatio plerumque privatum concernit, sed diffidatio ut plurimum in publicum sævit; Non enim sufficit, ut quis literis aliove facto, alteri persecutionem minetur, sed minæ ejusmodi si pro diffida-

da-

dationibus habendæ, totam universitatem concernere debent, ita ut periculum Universitati immineat, utut maxime diffidatio ad unum dirigatur, v. gr. si quis solum inimico suo uni ex universitate minitetur incendium, in ædibus ejus signo inflammationis affixo. Licet enim hoc casu diffidatio ad unum solummodo sit directa, attamen exinde incendium ac hostilia toti communitati sunt expectanda; uti proh dolor! exempla quotidiana satis demonstrant. Adeoque tales minæ ad totam communitatem pertinent, cui toti, incendium unius domus nocere potest, ut quod proxima quæque soleat arripere, sicuti verissime dicitur:

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

De prohibitione & pœna diffidationis videri possunt *Aur. Bull. cap.* 17. *Carpz. p.* 1. *Qu.* 37.

§. XXVI.

Affinis etiam est admenationi Scopelismus: quod erat criminis genus in Arabia, cujus Rei fiebant ij, qui in inimici agrum lapides posuissent, indicio futuros, quod si quis eum agrum coluisset, malo letho periturus esset insidiis eorum, qui eos posuissent: quo fiebat, ut nemo ad eum agrum accedere auderet, crudelitatem timens eorum, qui scopelismum fecerant, vid. *l. 9. ff. de extraord. Crim.* Alii definiunt scopelismum, quod sit crimen, quo sub

 lapi-

lapidibus, aliave materia malæ abſconduntur artes, ut accedentes malo letho pereant. Fr. Mart. *Interpr. art.* 109. *Ord. Crim. n.* 34. Georg. Thebeſ. *Diſſert. inaug. de ſcopeliſmo, theſ.* 6. *& ſeqq.* Quæ ſententia inde firmari videtur, quod Arabes magiæ fuerint maxime dediti, Joſepha *Antiqu. l.* 17. *c.* 6. & vindictæ cupidiſſimi. Luc. de Linda *in deſcript. Arab.* Illuſtrant hoc exemplo ſtatuæ circa tempora Caroli M. in Hiſpania ab Arabe Pſeudopropheta Mahomede, inſigni mago, fabricatæ ac poſitæ, in qua dæmoniacam legionem arte ſua magica ſigillaſſe dicitur, eamque Chriſtianos absque periculo accedere non potuiſſe, ac ſi avis forte ſuper iſtam ſederit, illico mortuam cecidiſſe. Turpin. *de Reb. Carol. M. c.* 4. Camer. 3. *oper. ſubciſiv. c.* 14. Referunt etiam huc eos, quos Germani Loößleger dicunt, de quibus ita Speidel. in Notab. Looßleger werden diejenigen genennt/ die auf gewiſſe Perſohnen/ und zu gewiſſen Schäden an Beine/ Armen/ Augen/ Därmen ꝛc. etwas unter die Schwellen graben/ oder in Weg oder Steg legen. Verum iſthæc deſcriptio ſcopeliſmi vix videtur congruere verbis legis: *inſidiis; crudelitatem; mortem comminatus*: quæ magis diffidationi cuidam conveniunt, neque veroſimile eſt, ſi artes maleficæ in hoc crimine adhibitæ, id plane ne minimo quidem verbulo innuiſſe Ulpianum. Ceterum hoc crimen Præſides graviter exequi ſolebant, etiam uſque ad pœnam capitis, *c. l.* 9. *de extraord. Crim.* conf. Matth. *de Crimin. c.* 3. *§.* 3.

S. D. G.